DIEI NATALIS
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI I.

GERMANORUM IMPERATORIS
REGIS BORUSSIAE

FAUSTISSIMA SOLLEMNIA

QUORUM LAETITIAM ORATIO

AB ELOQUENTIAE PROFESSORE PUBLICE CONSTITUTO

EDUARDO LUEBBERT

HABENDA INTERPRETABITUR

DIE XXII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXI

IN MAGNA AULA HORA I. POST MERIDIEM CELEBRANDA

INDICUNT

RECTOR ET CONSISTORIUM ACADEMICUM

UNIVERSITATIS CHRISTIANAE ALBERTINAE KILIENSIS

INEST EDUARDI LUEBBERTI DISSERTATIO DE PINDARI CARMINE OLYMPICO DECIMO.

KILIAE.
PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA.
EX OFFICINA C. F. MOHR (P. PETERS).
1881.

DIEI NATALIS
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI I.

GERMANORUM IMPERATORIS
REGIS BORUSSIAE

FAUSTISSIMA SOLLEMNIA

QUORUM LAETITIAM ORATIO
AB ELOQUENTIAE PROFESSORE PUBLICE CONSTITUTO

EDUARDO LUEBBERT

HABENDA INTERPRETABITUR

DIE XXII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXI

IN MAGNA AULA HORA I. POST MERIDIEM CELEBRANDA

INDICUNT

RECTOR ET CONSISTORIUM ACADEMICUM
UNIVERSITATIS CHRISTIANAE ALBERTINAE KILIENSIS

INEST EDUARDI LUEBBERTI DISSERTATIO DE PINDARI CARMINE OLYMPICO DECIMO.

KILIAE.
PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA.
EX OFFICINA C. F. MOHR (P. PETERS).
1881.

De Pindari carmine Olympico decimo.

CAPUT I. DE PINDARI QUADAM CUM SACERDOTIBUS ELEIS SIMULTATE.

Agesidamus puer, Archestrati filius, Locrus Epizephyrius, in pugilatu Olympiae vicit Ol. 74, 1 (484); Schol. ad Pind. Ol. XI. introd. p. 238: *ἐνίκησε οὗτος ὁ Ἀγησίδαμος τὴν ἑβδομηκοστὴν τετάρτην ὀλυμπιάδα.* In hanc victoriam Pindarus duo carmina composuit, alterum brevius, Ol. XI., quod statim post victoriam Olympiae cantatum est, alterum amplius, Ol. X., quod aut proximo, aut, quod propter v. 8 *βαθὺ χρέος* malim, secundo anno post in patriam victori transmissum est, ad diei anniversarii pompam ornandam. Carmen Olympicum X. ea re conspicuum est, quod in eo Pindarus ludorum Olympicorum primordia descripsit et quomodo Hercules ludos instituerit, enarravit. Nam licet diu iam ante Herculem Pelops ludos curules auspicatus esset, quae fabula a Pindaro carmine Olympico primo exornata est, ludi pro legitime institutis nondum habebantur. Hercules a Pelope quarto propagationis gradu descendit, quemadmodum Pausanias testatur 5, 13, 2: *Ἡρακλῆς ὁ Ἀμφιτρύωνος . . . τέταρτος γὰρ δὴ ἀπόγονος καὶ οὗτος ἦν Πέλοπος*, nam Lysidica Pelopis filia Alcaei, Amphitryonis patris, Herculis avi, uxor perhibebatur. Quare Hercules proavi memor prope eius monumentum ludos instituit, Pind. Ol. X, 24 *ἀρχαίῳ σάματι πὰρ Πέλοπος.*

Hoc igitur ludorum ab Hercule conditorum argumentum in media carminis parte, quae nunc recte, opinor, *ὀμφαλὸς* vocari solet, magnifice et luculenter a Pindaro exponitur. Prima narrationis pars v. 24—42 est Herculis adversus Augiam et Actoriones bellum, quo Hercules initio cladem accipit, postremo egregie vincit. Haec ex magnis Eoeis a Pindaro hausta esse, verisimillimum est. Sequitur deinde v. 43—55 secundus quodammodo actus: quemadmodum ludorum sollemnium locum Hercules elegerit, circumscripserit, aris exornaverit, omni denique ratione dignum eo honore, cui destinatus esset, reddiderit. In hac nostri carminis parte unam rem poeta

brevissime tangit: quemadmodum Iovi lucum Hercules dedicaverit, v. 45 *υἱὸς σταθμᾶτο ζάθεον ἄλσος πατρὶ μεγίστῳ*. Hoc longe splendidius et copiosius prosequitur in carmine Ol. III., Theroni inscripto, ubi mirifica suavitate, quemadmodum ex Hyperboreorum terra oleastrum (*κότινον*) Hercules petierit earumque arborum copia Altin ornaverit et advenis ad ludos celebrandos ingens beneficium, umbra parata, curaverit, enarratur. Tertia omphali pars v. 55—77 prima certamina ab Hercule habita victorumque nomina denique epulas et laetitiam comissantium continet.

De tota hac narratione, qua Hercules augustissimus ludorum conditor celebrabatur, primum sic statuere licebit: in magnis Eoeis, excepta illa parte de Augiae interitu, nihil quidquam, unde Herculem eorum ludorum auctorem et auspicem fuisse appareret, traditum erat. Hoc, opinor, certissimis argumentis evinci potest. Videtur sane uno vel altero ante Pindarum saeculo fabula illa iam orta esse; deinde per famam propagata hominibus in deliciis fuit. Nihilominus ante Pindarum nullus poeta hanc narrationem accuratius tractaverat; admodum enim incertum et dubium est, quod Odofredus Müllerus 'Dorienses' 2, 458 suspicatur, Stesichorum in Geryonide, in aliqua eius operis digressione, huius rei mentionem fecisse, quoniam apud Strabonem VIII p. 356 haec inveniantur; *Στησίχορον δὲ καλεῖν πόλιν τὴν χώραν Πῖσαν λεγομένην, ὡς ὁ ποιητὴς τὴν Λέσβον Μάκαρος πόλιν.*

Neminem hanc materiam ante Pindarum ornatius excoluisse et expolivisse ex ipsis Pindari verbis colligi posse credo. Primum enim Pindarus deum Temporis *Χρόνον* testem rerum ibi gestarum invocat eumque ut rerum obscurarum certissimum exploratorem et vindicem alloquitur, v. 53 *ὅ τ' ἐξελέγχων μόνος ‖ ἀλάθειαν ἐτήτυμον ‖ Χρόνος· τὸ δὲ σαφανὲς ἰὼν πόρσω κατέφρασεν.* Hoc Pindarus non dixisset, si illa ei ex litterarum monumentis petere licuisset. Deinde vero victorum nomina duo haud dubie a Pindaro ipso efficta sunt: eius qui iaculo vicerit v. 71 'Phrastoris', et v. 72 'Nicei', qui saxi iactu palmam rettulerit; eorum virorum neque pater, quod in ceteris factum, neque patria adicitur; atque Nicei sine dubio nomen e numero loquentium nominum est. Accedit Oeoni (*Οἰωνοῦ*) nomen, victoris in cursu. Hoc sane desumptum quidem est ex antiquis fabulis; sed in his Oeonus Licymnii, fratris Alcmenae, filius, puer ab Hercule maxume dilectus tenera aetate crudeliter perit; nam cum ante Lacedaemonis urbis moenia ambularet, et canem Molossicum e porta erumpentem lapide occidisset, subito Hippocoontidae prosiluerunt et baculis ad mortem usque eum mulcaverunt; quae res causa Herculi fuit, ut expeditionem adversus Lacedaemonem

faceret, Apollodor. 2, 7, 3: *τὸν δὲ τούτου θάνατον ἐκδικῶν στρατείαν ἐπὶ Λακεδαιμονίαν συνήθροιζεν* (ὁ Ἡρακλῆς). Pindaro nomen pueri *Οἰωνός* propter significationem cursoris velocitati aptissimum ita arrisit, ut ad ludorum primorum laudem augendam puerum illum ad virilem aetatem eveheret et in speciosissimo certaminum genere palmam meruisse fingeret.

Haec omnia luculenter ostendunt, ante Pindari aetatem hanc narrationem de Hercule Olympicorum ludorum conditore nondum subtilius excultam et plane stabilitam fuisse; nam si ne de nominibus quidem primorum victorum constabat atque si tam gravium rerum etiamnunc fingendarum Pindaro potestas relicta erat, vix, credo, amplius quid edolatum et praeformatum erat, quam illud totius narrationis caput: Herculem post Augiam devictum ludos condidisse. Pindarus igitur materiam etiamnunc rudem accepit eamque suo ingenio ita excoluit, ut primus iam conatus ad summam perfectionem udam illam etiamnunc quasi argillam adduceret. Ac merito omnium recentiorum existumatorum summam admirationem movit illa sub finem imago, qua victorum comissantium laetitia describitur, et quemadmodum plenae lunae splendore omnibus arridente tota Altis canentium symphonias resonarit, et ut suavissimus ille hominum conventus spectaculum dis ipsis praebuerit v. 73 *ἐν δ' ἕσπερον ‖ ἔφλεξεν εὐώπιδος ‖ σελάνας ἐρατὸν φάος. ‖ ἀείδετο δὲ πᾶν τέμενος τερπναῖσι θαλίαις ‖ τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον.* Conferendus de hoc loco vir de Pindari poesis pulchritudine aestimanda egregie meritus Leopoldus Schmidt, de Pindari vita et poesi p. 110.

Verum enim vero huius, quod nobis apparuit, inventi, quo tam magnificum poesis argumentum, qualis Herculis fabula est ludos Olympicos condentis, ante Pindari aetatem nondum accuratius expolitum et ne omnibus quidem partibus stabilitum videmus, caussa et ratio paullo altius repetenda videtur. Nisi prorsus fallit opinio, aliae nonnullae fabulae de primordiis ludorum circumferebantur, quae illi de Hercule narrationi invidorum rivalium instar et aemulorum vehementer obstabant obtrectabantque. Tales fabulae si sedulo propagarentur et hieratico quodam sapore condirentur, fieri profecto potuit, ut meritum illud ludorum conditorum ad alios heroes traduceretur, Herculis vero, Amphitryonis filii, in quo virtus ipsa ad homines descendisse credebatur, laudes et gloria plane obscurarentur. Atque huius rei luculentum documentum carmen nostrum Ol. X. continet. Nam hoc carmen, quod primo adspectu meram pacem spirare videtur atque unice eo consilio compositum, ut aeternae cuiusdam pulchritudinis specie auditorum animos expleret, nihilominus sub miti illo voltu pugnax, immo

pugnacissimum occulit ingenium. Insunt reconditi quidam aculei et acerbitatis stimuli, quos qui solius delectationis caussa verba legat, vix sensurus sit, qui attentus omnia expendat, manifesto deprehendat.

Nam ut brevi comprehendam: Pindarus in hoc carmine adversarios nonnullos impugnat. Intellexerat enim hoc a se postulari, ut illustrissimas illas sanctissimasque fabulas, quibus omnium fere Graecorum communis fama ludorum Olympicorum origines involverat, narrationem inprimis de Hercule ludorum conditore, poesis suae armis defenderet adversus nonnullorum contra tendentium temeritatem et pertinaciam. Qui illi fuerint quaeris? Ipsi Elei sacerdotes, qui patrias quasdam et domesticas religiones secuti fabulas de Olympicorum ludorum primordiis longe diversas excogitarant easque interpretum et periegetarum Olympicorum ore advenis hospitibus enixe commendabant et pro veris genuinisque venditabant. Hoc indignatus est Pindarus. Adversus has, ut ipse quidem opinabatur, superstitiones sagittas ex pharetra promit; has generosa iracundia aggreditur.

Atque quos hercle heroes Elei celebrabant, tantisque, incomparabilibus plane, honoribus ornabant! Finxerant illi et commenti erant, cuius rei Pausanias testis est loco satis celebri 5, 7, 6, docilis ille periegetarum discipulus, Dactylos Idaeos quinque, qui et Curetes vocati sint, Herculem quendam Idaeum, Creta oriundum, cum quattuor fratribus: Paeonio, Epimede, Iasio, Ida, qui et Acesidas (Paus. 5, 14, 7) nuncupatus sit, in fines Olympiae ab Rhea vocatos esse ad Iovem puerum custodiendum; ibi postquam per aliquod tempus lusui indulserint, Herculem maximum natu iustos ludos condidisse, qui 'Olympia' vocati sint, Paus. 5, 7, 9: *Ἡρακλεῖ οὖν πρόσεστι τῷ Ἰδαίῳ δόξα τὸν τότε ἀγῶνα διαθεῖναι πρώτῳ καὶ Ὀλύμπια ὄνομα θέσθαι. διὰ πέμπτον οὖν ἔτους αὐτὸν κατεστήσατο ἄγεσθαι, ὅτι αὐτός τε καὶ οἱ ἀδελφοὶ πέντε ἦσαν ἀριθμόν.* In his certaminibus cum Saturno Iovem de mundi imperio lucta certasse, deinde alios cum aliis certamina inisse, quos scire parum intersit (Paus. 5, 7, 10). Deinde multis annis post Clymenum quendam Cardyis filium ex Creta oriundum, unum ex Herculis posteris, nam is prolem in Creta reliquerat, rursum Olympiam venisse ibique Herculi generis parenti et ceteris Curetibus aras aedificasse Herculique illi Idaeo sacra instituisse, in quibus nomine Parastatae invocaretur; Paus. 5, 8, 1 *Ἡρακλεῖ τῷ προγόνῳ λέγουσιν ἱδρύσασθαι βωμόν, Παραστάτην ἐπωνυμίαν τῷ Ἡρακλεῖ θέμενον.* Eiusdem famae meminit Strabo VIII, p. 355 *ἐᾶσαι γὰρ δεῖ τὰ παλαιὰ καὶ περὶ τῆς κτίσεως τοῦ ἱεροῦ καὶ περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἀγῶνος, τῶν μὲν ἕνα τῶν Ἰδαίων δακτύλων Ἡρακλέα λεγόντων ἀρχηγέτην τούτων, τῶν δὲ τὸν Ἀλκμήνης καὶ Διός.* conf. Diod. 5, 64, 6 et 3, 74, 4.

Talia igitur commenti erant Elei neque unquam narrare atque iterare desistebant. Sed pupugit hoc Pindarum, quippe qui intellegeret, fore ut eius herois, quem omnium maxume venerabatur, Herculis Alcmenae filii, honores fabellis illis infringerentur, et ut rivalis ille pusio (Paus. 8, 31, 3), Idaeus Hercules, augustissimi Alcmenae et Iovis filii laudes sensim sibi vindicaret. Hoc profecto ne fieret, cavendum magnopere Pindarus existimavit. Itaque arma sua arripuit, carmen Olympicum X. composuit, id enixo studio agens, ut patronum se religionum sanctissimarum praeberet suique carminis splendida narratione, tanta Graecorum frequentia et ludorum maiestate vere digna, futiles illas et luce indignas fabellas Eleorum obscuraret et debito silentio obrueret. Quamobrem recte dicere licebit, in hoc carmine Ol. X. nos quodammodo documentum simultatis cuiusdam aetatis Pindaricae de religionibus recte colendis et propagandis habere. Neque quisquam Pindari mihi notissimam pietatem et animi sanctitatem opponat. Nam pervolgatum sane hoc est, Pindarum sincero studio eas aequalium suorum de rebus divinis opiniones, quae verum religionis sensum proderent, suspexisse, neque quidquam, quod deorum colendorum traditas antiquitus formas violare potuerit, unquam docuisse. Sed eodem modo Pindarum ex carminibus ipsis novimus acerrimum earum rerum adversarium, quae cum aliquo divinae maiestatis detrimento vel cum morum aliquo periculo propagarentur. Omnibus in promptu est, quemadmodum fabulam illam de Pelopis *κρεουργίᾳ* Pindarus cum aperta indignatione castigarit; Ol. I, 53 *ἐμοὶ δ' ἄπορα γαστρίμαργον μακάρων τιν' εἰπεῖν· ἀφίσταμαι. ‖ ἀκέρδεια λέλογχεν θαμινὰ κακαγόρους.* Talia saepius recurrunt.

Itaque minime Pindarus reformidavit eos errores graviter reprehendere, quae religionum divinarum puritatem in discrimen adducere possent. Huius rei pulcherrimum exemplum hoc quoque carmen Ol. X. est, in quo Pindarus eius famae, quae Herculi Thebano Olympicorum ludorum primordia vindicabat eumque pro auspice primorum certaminum celebrabat, signiferum se et propugnatorem praebuit. Atque re vera Eleorum illa commenta qui accuratius inspiciat, facere non poterit, quin Pindarum recte iudicasse censeat. Repunt haec humi, pusilla sunt, nervis et robore carentia, superstitionis domesticae colore imbuta, ut nullo modo eis sollemnibus, quae per tot saecula Graecorum studia retinuerunt, quorum iam nomine audito Graeca corda laetitia vibrabant, apta videri potuerint. Itaque in hac quoque simultate Pindarus se verum et fidum deorum cultorem praebuit.

Sed erunt sine dubio, qui magnopere miraturi sint hanc nostram huius car-

minis interpretationem. Nam primo obtutu carmen summa dulcedine perfusum et quasi mel et lac videtur, nulla acerbitatis gutta admixta. Accedit quod summus quidam in hoc litterarum et antiquitatum genere iudex aliam longe sententiam professus est. Lobeckius rem in Aglaophamo p. 1168—76 tractavit, quod quidem opus quotiens lego, totiens pio quodam horrore totus perfundor et animum haec cogitatio subit: arduum et aleae plenum opus esse tali auctori repugnare. Verum Lobeckii argumenta tanquam procella aliqua in his litteris efficacia fuerunt: magnam in superstitionibus eruditis stragem ediderunt, nonnunquam profecto una opera etiam cum praeiudicatis opinionibus ea prostraverunt, quae nunc erigi rursus oporteat.

Iam igitur Lobeckius summo acumine demonstrare conatur, fabulas illas Eleorum sacerdotum de ludorum originibus, de quibus Pausanias loco illo celebri 5, 7, 6 tradidit, recentis aetatis esse, atque manifesto post Pindari aetatem ortas. Huius rei duo argumenta affert: primum quod Pindarus earum fabularum neque in hoc, neque in alio eorum carminum, quae in originibus Olympiae versantur, ullam mentionem faciat; Aglaoph. p. 1170: *de illo* (*Hercule Idaeo*) *si antiqui Elei, Pindari aequales, ea praedicassent, quae Pausanias ab antiquariis accepit, nullo prorsus modo ille disertissimus Olympionicarum praeco* (i. e. Pindarus) *instituti laudem audiente cuncta Graecia in Thebanum transferre potuisset Herculem.* Hoc argumentum non est aptum ad probandum; nam Pindarus potuit illa nosse, at nihilominus ista, quae odisset et Graeciae auribus indigna iudicaret, silentio tegere atque re ipsa corrigere potuit, ea ratione, ut ea oblivione sepeliret, augustiora vero et magis magnifica suis carminibus immortalia redderet. Minime igitur inde, quod Pindarus ea verbis non effert, colligi potest, eum illa ignorare.

Alterum Lobeckii argumentum Agl. p. 1174 ex fabularum ab Eleis propagatarum genere et natura petitum est, quae Lobeckio recentiorum temporum vestigia prodere videntur. De hoc argumento postea videbimus. Lobeckio assensus est Prellerus, Mythol. Graec. II³, p. 275 sq., qui fabulas de Hercule Idaeo et Parastata ad postrema tempora labentis iam Graecae antiquitatis referendas censet. Itaque secundum eorum virorum sententiam non Pindarus Eleos, sed Elei Pindarum impugnaverunt et corrigere studuerunt. Ad hanc opinionem refellendam paullo post gravioribus argumentorum telis opus erit. Nunc unius praeterea viri iudicium expendendum est, qui a Lobeckio dissentiens suam quandam rationem iniit; est is vir de Olympiae antiquitatibus egregie meritus et sani incorruptique iudicii Io. Henricus Krause: 'Olympia' (Vindobonae, 1838) p. 29, qui Pindarum censet nullo modo ea ignorare

potuisse, quae sacerdotes Olympii de ludorum originibus tradiderint, sed Pindarum, qua fuerit ingenii sublimitate, spretis puerilibus fabellis altius evolasse, illa pro nullis iudicasse.

In hac sententia maxume probo, quod sacerdotum illas narrationes Pindarum necessario novisse contendit. Alterum, quod dixit, ita improbo, ut virum eruditissimum in hac re ad Pindari verba animum non satis attendisse credam. Nam Krauseus cum dicit, Pindarum illa cognovisse quidem, sed eis neglectis in altiorem cursum se extulisse, non animadvertit, Pindari verba tanquam adversa fronte cum Eleorum sacerdotum rumoribus et fabellis pugnare. Elei narrabant, Saturno deo Olympiae vetustissimis temporibus aedem extructam esse: Paus. 5, 7, 6: *ἐν Ὀλυμπίᾳ ποιηθῆναι Κρόνῳ ναὸν ὑπὸ τῶν τότε ἀνθρώπων, οἳ ὠνομάζοντο χρυσοῦν γένος.* Pindarus contra Ol. X, 49 data opera expressis verbis indicat, Herculem demum, Alcmenae filium, Cronium montem hoc nomine nuncupavisse, cum antea sine nomine, sine arborum tutela nivibus oppletus fuerit: *καὶ πάγον ‖ Κρόνου προσεφθέγξατο· πρόσθε γὰρ ‖ νώνυμνος, ἇς Οἰνόμαος ἆρχε, βρέχετο πολλᾷ νιφάδι.* — Rursus Elei narrabant, oleastrorum pristinis illis temporibus Olympiae tantam copiam fuisse, ut Hercules Idaeus eiusque fratres ex viridis earum arborum frondibus cubilia, in quibus somnum caperent, sibi pararint; Paus 5, 7, 7: *παρεῖναι δὲ αὐτοῖς πολὺν δή τι οὕτω κότινον, ὡς τὰ χλωρὰ ἔτι τῶν φύλλων ὑπεστρῶσθαι σφᾶς καθεύδοντας.* Pindarus vero oleastrorum arcessitarum meritum Herculi Thebano tribuit sine haesitatione; Ol. III, 17 eas ab Hyperboreis petit: *πιστὰ φρονέων Διὸς αἴτει πανδόκῳ ‖ ἄλσει σκιαρόν τε φύτευμα ξυνὸν ἀνθρώποις στεφανόν τ᾽. ἀρετᾶν.*

Eleorum denique haec fama erat, Herculem Idaeum quinquennalem ludorum iterationem instituisse in memoriam numeri quinque fratrum Dactylorum Idaeorum Paus. 5, 7, 9: *Ἡρακλεῖ οὖν πρόσεστι τῷ Ἰδαίῳ δόξα τὸν τότε ἀγῶνα διαθεῖναι . . . διὰ πέμπτου οὖν ἔτους αὐτὸν κατεστήσατο ἄγεσθαι, ὅτι αὐτός τε καὶ οἱ ἀδελφοὶ πέντε ἦσαν ἀριθμόν.* Pindarus quasi haec refutaturus Ol. X, 57 (*Χρόνος . . . κατέφρασεν*) *πενταετηρίδ᾽ ὅπως ἄρα ‖ ἔστασεν ἑορτὰν σὺν Ὀλυμπιάδι πρώτᾳ ‖ νικαφορίαισί τε.* Haec, quae augeri possint, expendentes vix assentiri poterimus Krausei iudicio, Pindarum, quamvis optime cognoverit Eleorum sacerdotum commenta, ea tamen silentio praeteriisse. Immo ea et nota habuit et refutare studuit, etiamsi ut ea commemoraret vel clarius qualia essent significaret, non e carminum suorum dignitate duxit. Sapientibus et rerum gnaris satis aperte locutus erat; atque in hanc controversiam maxume convenit vox Pindari celebratissima et verissima, Ol. II, 91: *πολλά μοι ὑπ᾽ ἀγκῶνος ὠκέα βέλη ‖ ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας ‖ φωνάεντα συνέτοισιν . ἐς δὲ τὸ πὰν ἑρμηνέων χατίζει.*

Ex eis, quae hucusque disputavimus, luculenter, opinor, apparet, ex Pindari carmine Ol. X. egregium nobis lucrum paratum esse posse ad Pindari ingenium et animi dotes recte aestimandas, si modo constet, fabulas et commenta illa Eleorum Pindaro vetustiora esse. Nam si vetustiora sint, Pindarus ea respexit et impugnavit, licet nomen auctorum reticuerit. Sed res nondum pro certa et stabilita haberi poterit, dum dubitationes illae, quas vir, cuius in his litteris nomen quasi tessera est recti et falsi, Lobeckius in Aglaophamo professus est, inconcussae maneant. Itaque nostrum nunc erit, hoc, quam accuratissime et subtilissime fieri poterit, enucleare, num Eleorum sacerdotum commenta eum antiquitatis saporem habeant, ut Pindaro antiquiora videri debeant, an recentiora habenda sint. Hoc ut recte diiudicetur, totum illum religionum complexum, cuius partem aliquam efficiunt fabulae illae de Hercule Idaeo et Dactylis ludorum Olympicorum conditoribus, nunc paullo copiosius et uberius enarremus.

Rheae magnae Deorum matris cultum Olympiae antiquissimum et sanctissimum fuisse pervolgatum est. Antrum Idaeum Olympicum, in quo Iovem Rhea pepererit, Pindarus cum summa veneratione laudibus effert Ol. V, 18: *Σωτὴρ ὑψινεφὲς Ζεῦ, Κρόνιόν τε ναίων λόφον ‖ τιμῶν τ' Ἀλφεὸν εὐρὺ ῥέοντα Ἰδαῖόν τε σεμνὸν ἄντρον, | ἱκέτας σέθεν ἔρχομαι*: ubi Scholiasta p. 125 extr.: *Ἰδαῖον ἄντρον ἐν Ἤλιδι. Δημήτριος ὁ Σκήψιος νεῶν διακόσμου ἱερὸν Διός.* De hoc antro copiose dixerunt Boeckhius ad Ol. II, 14 et V, 18; ad Pind. fragm. p. 615 init.; item dixit Dissenius ad Ol. II, 14 et V, 18. De magnae Matris aede Metroo Olympico haec tradit Pausanias 5, 20, 9: *ναὸν … Δώριον Μητρῷον καὶ ἐς ἐμὲ καλοῦσιν ἔτι, τὸ ὄνομα αὐτῷ διασώζοντες τὸ ἀρχαῖον.* Cum Rhea Iovem peperisset, pueri custodiam Idaeis Dactylis e Creta adscitis tradidit, de quo refert Paus. 5, 7, 6. Quaeritur Rhea et Iovis pueri cultus unde Olympiam venerit. Dissenius ad Ol. II, 14 *religio,* inquit, *e Creta translata.*

Est quaedam huius coniecturae verisimilitudo; sed antiquissimis temporibus illud factum videtur, diu ante Apollinis religionem a Cretensibus colonis Delphos translatam. Nam Rheae cultus minume in hac tantum Peloponnesi parte, quae ad mare vergit et quae facilem a littore accessum habet, domesticus est, immo in Arcadiae montes et recessus penetravit ibique alte radices egit maxumamque auctoritatem nactus est. Etenim si Alphei cursum retro sequare, sat multas aedes fanaque Rheae antraque de Iovis infantia gloriantia reperias. Non inutile erit haec in conspectu collocare, ut Olympica illa magnae Matris religio quam non fuerit singularis et solitaria cognoscatur. Ad eam rem animum iam acutissime advertit E. Curtius ni 'Peloponneso' 2, 66 et aliis locis compluribus.

Iam ipsos Alphei fontes in Maenaliorum finibus sub tutela magnae Matris fuisse Pausanias 8, 44, 3 testatur. Quinque stadia ab Asea urbe Alpheus nascitur; ad ipsum fontem aedes erat deorum Matris sine tecto et duorum leonum simulacra; conf. Curt. 'Peloponnesos' 1, 266. — Commigrandum deinde est in laevam Alphei ripam in fines Parrhasiorum. Ibi Lycaeum est cacumen, in quo ipso et in cuius vicinitate sanctissimarum religionum sedes est. Cacumen Iovi Lycaeo sacrum; in clivo versus septentrionem et occidentem loca sacra et aedem describit Pausanias 8, 37 complu-ribus numinibus consecrata. Principatus est ibi penes Despoenam i. e. Proserpinam; cum ea consociatae sunt et Ceres et magna Mater. In area ante aedem harum trium dearum arae conspiciebantur; Paus. 8, 37, 2: *πρὸ δὲ τοῦ ναοῦ Δήμητρί τέ ἐστι βωμὸς καὶ ἕτερος Δεσποίνῃ, μέτ' αὐτὸν δὲ μεγάλης Μητρός.* In ipsa aede Rheae quidem statua nulla erat, sed statuae Cereris et Despoenae ex uno lapide sculptae; verum ut rursus horum numinum cum Matre magna aliqua sacrorum consociatio significaretur, in basi Curetum et Corybantum figurae expressae erant (Paus. 8, 37, 6). Totus locus, vetustissima hominum religione oppletus et involutus, a Megalopoli quadraginta stadia distabat, ab Alphei ripa viginti, Paus. 8, 36, 9; quattuor tantummodo ab Acacesio urbe, quae ab Mercurii tutore Acaco, Lycaonis filio, nomen acceperat; conf. Curt. 'Peloponn.' 1, 297, 335.

Sed hoc fanum Rheam comitem tantummodo et sociam aliarum, licet nobilissi-marum, dearum nobis ostendit. Alius nunc locus commemorandus est, qui Rheae et Iovis pueri sacris et cultu ita totus occupatus et perfusus est, ut ipsi Cretae insulae, in qua Iovis origo sanctissimis fabulis stabilita erat, tamen tanquam aemulus et in eodem honore rivalis se opponere potuerit. Hic locus vicinus est luco Despoenae, sed magis adversus septentrionem et occidentem, ipse quoque in cacumine aliquo montis Lycaei in Parrhasiorum finibus, Pausanias 8, 38, 2 luculenter situm describit: *τραφῆναι δὲ τὸν Δία φασιν ἐν τῷ ὄρει τούτῳ . καὶ χώρα τέ ἐστιν ἐν τῷ Λυκαίῳ Κρητέα καλουμένη . . . καὶ τὴν Κρήτην ἔνθα ὁ Κρητῶν ἔχει λόγος τραφῆναι Δία, τὸ χωρίον τοῦτο εἶναι καὶ οὐ τὴν νῆσον ἀμφισβητοῦσιν οἱ Ἀρκάδες* . Conf. Curtium 'Peloponn.' 1, 300. 338. Arcades igitur Creteam suam plus fidei in vindicandis Iovis pueri primordiis habere adseverabant. Nymphae, a quibus puer augustissimae indolis educabatur, erant: Theisoa, Neda, Hagno, urbis, fluvii, fontis vicinorum patronae. Eaedem Rheam post partum lustrarant atque ab hac re Lymax fluvius nomen acceperat, Paus. 8, 41, 2: *γενέσθαι τοὔνομά φασι τῷ ποταμῷ καθαρσίων τῶν Ῥέας ἕνεκα. ὡς γὰρ δὴ τεκοῦσαν τὸν Δία ἐκάθηραν ἐπὶ ταῖς ὠδῖσιν αἱ νύμφαι, τὰ καθάρματα ἐς τοῦτον ἐμβάλλουσι τὸν*

ποταμόν. ὠνόμαζον δὲ ἄρα οἱ ἀρχαῖοι αὐτὰ λύματα. Strenuissimum vero patronum caussae suae Arcades nacti sunt Callimachum, qui cum acerba Cretensium contumelia Parrhasios eorumque testimonium defendit, Hymn. in Iovem v. 7:

πότεροι, πάτερ, ἐψεύσαντο;
Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες· ἐσσὶ γὰρ αἰεί.
ἐν δέ σε Παρρασίῃ Ῥείη τέκεν, ἧχι μάλιστα
ἔσκεν ὄρος θάμνοισι περισκεπές· ἔνθεν ὁ χῶρος
ἱερός . . . . ἀλλά ἑ Ῥείης
ὠγύγιον καλέουσι λεχώιον Ἀπιδανῆες.

De his versibus omnino conferendus Meinekius in editione Berolin. 1861 p. 123. 'Rheae cubile': *λεχῷον* ab Cretea, quae vocatur a Pausania 8, 38, 2, distingui videtur a Callimacho ibid. v. 33: *Νέδῃ δέ σε δῶκε κομίσσαι ‖ κευθμὸν ἔσω Κρηταῖον, ἵνα κρύφα παιδεύοιο.* Callimachus omnino multus est in his locis illustrandis. Videmus igitur Rheae religionem in his regionibus late patuisse et antiquissimam fuisse. — His locis sacris, in quibus Rheae religio consedit, nunc addendus est locus sanctissimus in media Arcadia prope Methydrium urbem, quae nomen accepit, quod media est inter Maloetam et Mylaontem fluvios. Locus in umbilico Arcadiae situs a Pausania 8, 36, 1 describitur. Methydrio exadversus trans Mylaontem mons Thaumasion escendit. In eo Rhea cum Iovem praegnans in alvo ferret, consedisse dicebatur; deinde posteaquam in Lycaeo puerum enixa erat, in Thaumasium rediit ibique Hoplodamum Gigantem aliosque nunnullos e Gigantibus constituit, qui adversus Saturnum, ubi opus foret, auxilium laturi essent; Paus. 8, 36, 2. Sed certamine supersederi potuit. Nam Saturnus oblato pro puero lapide, quem devoraret, deceptus est idque in monte Thaumasio factum Methydrienses memorabant. Iuxta montis cacumen Rheae antrum erat, in quod nemini omnino praeter mulieres sacerdotes intrare fas erat. Paus. 8, 36, 3 *ἔστι δὲ πρὸς τῇ κορυφῇ τοῦ ὄρους σπήλαιον τῆς Ῥέας καὶ ἐς αὐτὸ ὅτι μὴ γυναιξὶ μόναις ἱεραῖς τῆς θεοῦ ἀνθρώπων γε οὐδενὶ ἐσελθεῖν ἔστι τῶν ἄλλων.*

Alia rursus Rheae memoria tradebatur prope Nestanam urbem in Mantineensium finibus, ubi fons quidam erat Arna nominatus Paus. 8, 8, 2. In hoc loco Rhea, postquam Neptunum pepererat, Saturnum, qui statim quidquid illa peperisset, voraturus esset, decepisse dicebatur: nam puerum modo natum in gregem agnorum immisit, cum Saturno mentiretur, equi pullum se enixam esse, eumque ipsum statim Saturnus hausit. — Rheae errores et anxiam semper Saturno urgente et instante fugam alius

rursus locus prope Mantineam testatur: Paus. 8, 10, 2. Alesium mons nomen ab Rheae erroribus, cum per Arcadiam vagaretur, accepit. Paus. l. c. *τὸ ὄρος ἐστὶ τὸ Ἀλήσιον, διὰ τὴν ἄλην, ὥς φασι, καλούμενον τῆς Ῥέας, καὶ Δήμητρος ἄλσος ἐν τῷ ὄρει.* Cum igitur Rheae cultus tam late per Arcadiam patuerit, minime mirum videri poterit, si in Elide quoque hanc deam inter antiquissima numina receptam fuisse statuamus.

Ab hoc fundamento progredientibus nunc quaerendum iam est, quam vetusta illa apud Pausaniam de Curetibus seu Dactylis Olympicorum ludorum constitutoribus narratio (8, 7, 6) esse possit. Haec fabula in eis est, quas Strabo vetustas vocat, Strab. VIII p. 355 *ἐᾶσαι γὰρ δεῖ τὰ παλαιὰ καὶ περὶ τῆς κτίσεως τοῦ ἱεροῦ καὶ περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἀγῶνος*, sed concedimus Lobeckio in eiusmodi rebus antiquorum testium fidem non multum valere. Immo aliis argumentis nitendum est. In illis locis, in quibus paullo superius Rheae et Iovis cultum extitisse comprobavimus, Curetum et Dactylorum nulla memoria occurrit. Etenim illa in Peloponneso sacra tam remota ab primo historiae diluculo aetate primum instituta videntur, ut Curetes et Dactyli tum nondum ne in Creta quidem ullas in Rheae sacris fabulisque partes tenuisse concludendum sit. Itaque sola et hisce comitibus etiamnunc egens Rheae religio illis saeculis in Peloponnesum immigravit: Hesiodus ipse in Theogonia, quod Lobeckius Agl. p. 1129 animadvertit, fabulae de Iovis pueritia eam formam novit, quae Curetibus eorumque ministerio careat.

Sed posteaquam in Creta, quae magis magisque fabulam de Iovis natalibus sibi vindicabat, Curetum seu Dactylorum numina huic narrationi adiecta sunt, fieri vix potuit, quin in ea Graeciae loca, ubi Rhea iam pridem consederat, comites quoque illi et socii adducerentur, quatenus hoc per commercii itinera licuit. Ex Creta in Peloponnesi littora satis antiquis temporibus frequentissimum commercium exercebatur. Hoc cum ex Odysseae permultis locis patet, tum inprimis ex Hymno in Apollin. Pyth. v. 219, ubi Pylos ut consuetus nautarum e Creta portus describitur: *οἱ μὲν ἐπὶ πρῆξιν καὶ χρήματα νηὶ μελαίνῃ ‖ ἐς Πύλον ἠμαθόεντα Πυληγενέας τ' ἀνθρώπους ‖ ἔπλεον.* Atque quemadmodum haec navis in hymno primos Apollinis sacerdotes Delphos attulisse narratur, ita alia quoque sacra Cretensia sine dubio eadem via et opera in occidentales Graeciae partes, nam has potissumum navium cursus petebat (conf. Gustavum Gilbert: Studien zur altspartanischen Geschichte; Göttingen 1872, p. 40), delata sunt.

Quae si reputemus, minime a verisimilitudine abhorret, Curetum etiam seu

Dactylorum cultum maturo satis tempore in Elidem pervenisse. Eleos enim peregrinarum religionum ad se recipiendarum, ambitionis nescio cuius studio adductos, cupidissimos fuisse, ipse Lobeckius eruditissime demonstravit Agl. p. 1174. Nam ut Atlantides nunc mittamus, quas minus, opinor, recte in hunc conexum rettulit Lobeckius, Dardani origines sibi teste Strabone Elei vindicabant. Strabo VIII p. 346: *δύο ἄντρα, τὸ μὲν νυμφῶν Ἀνιγριάδων, τὸ δὲ, ἐν ᾧ τὰ περὶ τὰς Ἀτλαντίδας καὶ τὴν Δαρδάνου γένεσιν.* Nolim hoc loco de Dardani nomine cum Iardani confuso cogitare, quem pariter Strabo commemorat p. 347: *ὁ τοῦ Ἰαρδάνου λειμὼν δείκνυται καὶ τάφος*, quod viro egregio Ernesto Curtio 'Pelop.' 2, 82 placuit. Lobeckius Dardanum, cuius in eo antro sacra celebrabantur, ex Eleorum vel opinione vel hieratica fictione eundem fuisse censet, qui postea Samothraciae mysteria cum Iasone fratre in Samothracia condiderit et Troiam transtulerit, Strabone teste VII, fragm. 50: *ὁ Δάρδανος ἀπάρας ἐκ Σαμοθράκης . . . ἐδίδαξε τοὺς Τρῶας τὰ ἐν Σαμοθράκῃ μυστήρια.*

Itaque per se improbabile non est, Curetes et Dactylos ab Eleis, qui Rheam cum Iove puero iam pridem in sedes suas recepissent, civitatem ipsos quoque adeptos esse. Verum Elei haec numina advena non simpliciter talia, qualia acceperant, admiserunt, sed cum domesticis quibusdam heroibus vel daemonibus ea comparantes eosdem esse iusserunt. Nomina, quae in loco illo Pausaniae 5, 7, 6, qui disputationis nostrae fundamentum est, Curetibus imponuntur: Paeonius, Epimedes, Iasius, Idas vel Acesidas, natura et significatu a Dactylis aliena videntur (Lob. Agl. p. 1175); nam ad numina in morbis salutifera et valetudinem tutantia designanda ficta ea esse apparet. His accedit Hercules Parastata, cuius cognomen eandem salutis servandae et opis ferendae vim habet. Haec igitur numina Olympiae aras habebant: Paus. 5, 8, 1, atque inprimis 8, 14, 7. Neque mirum in illo ludorum cum vitae saepe periculo coniunctorum campo numina salutis et membrorum incolumitatis tutelam gerentia sedem habuisse. Haec igitur numina prompto illo fabulis fingendis ingenio, quod hereditarium Graecorum hominum fuit, cum Curetibus Elei aequarunt, et ambo daemonum genera eadem declaraverunt. Itaque si hanc nunc sequamur explicationem: Curetum seu Dactylorum e Creta advenarum nomen in heroes illos apud Eleos domesticos et patrios translatum esse, omnes difficultates optime tolluntur. Praeivit hanc huius rei diiudicandae viam vir acutissimus Eduardus Iacobi in Glossario Mythologico s. v. Idaei Dactyli p. 493. Sed eum Lobeckii auctoritas transversum paullulum egit, nam Iacobius quoque de satis recenti eius fabulae origine tanquam de re argumentis comprobata magistri venerandi effata repetit.

Adumbrare conati sumus qua ratione Curetum numina peregrina in Peloponnesum translata sint et cum domesticis nonnullis heroibus nomina et naturam plane communicare potuerint. Nunc eius conversionis tempora accuratius definiemus. Heroum illorum domesticorum, in quos Curetum seu Dactylorum nomen commune translatum est, sacra et religiones Olympiae novicia esse, neque per se probabile est, neque argumentis ullis demonstratum. Immo extat testimonium clarum et luculentum, quo Herculem Parastatam in Elide urbe cum aliis numinibus minime noviciis cultum esse constet. Paus. 8, 23, 3 numina gymnasii in Elide urbe tutelaria enumerans *εἰσὶ δὲ καὶ* inquit *θεῶν ἐν τῷ γυμνασίῳ βωμοί, Ἡρακλέους τοῦ Ἰδαίου, Παραστάτου δὲ ἐπίκλησιν, καὶ Ἔρωτος καὶ ὃν Ἀντέρωτα ὀνομάζουσιν, Δήμητρός τε καὶ παιδός.* Non video, quid permovere nos possit, ut Herculem Parastatam pro non antiquissimo habeamus. Sed licet antiquissimus sit Hercules Parastata, remanet semper illa dubitatio quando una cum fratribus Curetum Dactylorumque Idaeorum nomen acceperit. De hac re pronuntiare propter quattuor illorum fratrum ignobilem plane famam difficilius est; sed est quaedam veri inveniendi spes propter Herculis Idaei, inter quinque illos fratres natu maxumi, minime intermortuam, immo saepius proditam memoriam. Herculem Idaeum aliquotiens Pausanias per Graeciam migrans invenit.

Primum Thespiis aedem Herculis vidit, in qua virgo sacerdotis munere per vitae tempus fungebatur; Paus. 9, 27, 6—8. Pausanias indiciis nonnullis ductus suspicatur, hunc Herculem Thespiensem non esse Amphitryonis et Alcmenae filium, sed vetustiorem illum Idaeum Dactylum, qui Erythris quoque apud Iones et apud Tyrios cultus sit; Paus. 9, 27, 8: *ἐφαίνετό μοι τὸ ἱερὸν τοῦτο ἀρχαιότερον ἢ κατὰ Ἡρακλέα εἶναι τὸν Ἀμφιτρύωνος καὶ Ἡρακλέους τοῦ καλουμένου τῶν Ἰδαίων Δακτύλων.* Deinde Mycalessi Boeotiae urbe Hercules Idaeus consors erat in cultu Cereris et Proserpinae. De Mycalessi urbis nomine Paus. 9, 19, 4: *Μυκαλησσὸν δὲ ὁμολογοῦσιν ὀνομασθῆναι διότι ἡ βοῦς ἐνταῦθα ἐμυκήσατο ἡ Κάδμον . . . ἄγουσα ἐς Θήβας.* Hercules ibi ministerio aeditui quodammodo Cereris fungebatur; templi enim valvae mane aperiebantur, vesperi claudebantur eius opera; *τὸν δὲ Ἡρακλέα εἶναι τῶν Ἰδαίων καλουμένων Δακτύλων.* Conf. Lobeck, Agl. p. 1169. Cicero quoque Herculem Idaeum in illo diversorum eius nominis heroum conspectu novit, quem C. Cotta exhibet: Cicero, de deor. nat. 3 § 42: *tertius est ex Idaeis digitis, cui inferias adferunt.* Sed haec testimonia licet commoda sint, nihil tamen nos edocent de ea quaestione, quando Herculis Idaei numen Graecis cognitum esse coeperit. De hac re unum apud Pausaniam 8, 31, 3 locum, nullo auro expendendum, habemus, quem ne

eruditissimae quidem et speciosissimae Lobeckii, Agl. 1169 dubitationes convellere et pondere suo privare poterunt. Ex hoc loco luculenter patet, Herculem Idaeum iam ante Pindarum in Graecia pedem collocavisse.

Pausanias enim ubi Megalopolitanorum sacra publica describit, Cereris quoque et Proserpinae ibi fanum sanctissimum enarrat. Proserpina in hoc fano *Σώτειρα* vocabatur; Paus. 8, 31, 1: *τὴν Κόρην δὲ Σώτειραν καλοῦσιν οἱ Ἀρκάδες*. Dearum 'magnarum' simulacris aliorum muliebrium numinum statuae adiunctae erant; praeterea statua, unum cubitum alta, Herculis Idaei prope Cereris statuam. Hunc Herculem Dactylum Idaeum esse Onomacritus in carminibus epicis testatus erat; Paus. 8, 31, 3: *ἔστι δὲ καὶ Ἡρακλῆς παρὰ τῇ Δήμητρι μέγεθος μάλιστα πῆχυν· τοῦτον δὲ τὸν Ἡρακλέα εἶναι τῶν Ἰδαίων καλουμένων Δακτύλων Ὀνομάκριτός φησιν ἐν τοῖς ἔπεσιν*. Huius testimonii vim Lobeckius Agl. p. 1169 ita infringere conatur, ut dicat, Onomacritum de signo Megalopolitano neque loqui, neque, si fecerit, id ita accurate describere potuisse, *ut septingentis annis post recognosceretur*. Itaque nihil aliud Pausaniam dicere, nisi hoc: signum illud cubitale Herculis esse Idaei; eumque sive daemonem sive heroem Onomacritum carminibus celebravisse.

In hac argumentatione primum hoc haud dubie concedendum, Onomacritum, licet vates fuerit, nihil quidquam de Megalopoli vaticinari potuisse. — De reliquis a Lobeckio prorsus dissentio. In Arcadia eodem plane modo, ut in Messenia, Cereris, Proserpinae, Magnae Matris religiones Epaminondae aetate ex longa oblivione in vitam suscitatae rursus sunt. De Messenia res notissima est. Nihil magis novae reipublicae conditoribus cordi fuit, quam ut illa sacra in antiquom splendorem restituerentur. Luculentissimo testimonio est praeclara inscriptio Andaniensis, quam edidit et egregio commentario instruxit Hermannus Sauppe, Mysterien-Inschrift von Andania, Gottingae 1860. Dorienses Cereris cultum et sacra, quippe quae antiquiorum populorum propria essent, suppresserant, quemadmodum Herodotus nobilissimo loco testatur 2, 171: *μετὰ δὲ ἐξαναστάσης πάσης τῆς Πελοποννήσου ὑπὸ Δωριέων ἐξαπώλετο ἡ τελέτη*, de quo loco conferendus Sauppius l. c. p. 14. Postea iugo Spartanorum excusso haec omnia, tenebris sepulta, in lucem revocata sunt, Cererisque et Proserpinae rursus sacra effloruerunt. In eis locis, ubi postea Megalopolis surrexit, vetustas earundem dearum et magnae Matris religiones fuisse, non probabile tantum, sed paene dixerim certum est. Matris magnae in foro Megalopolitanorum statua et aedes erant; Paus. 8, 30, 4: *ἄγαλμα οὐ μέγα Μητρὸς*

θεῶν, τοῦ ναοῦ δέ, ὅτι μὴ κίονες ἄλλο μὲν ὑπόλοιπον οὐδέν. Haec igitur sacra non novitia in his locis sunt, sed ex remota antiquitate origines trahunt.

Eadem argumentatione probabile reddi poterit, Herculis quoque Idaei cultum, quem cum Cerere et magna Matre saepius coniunctum supra vidimus, non recentissimum in Alphei ripis fuisse, immo re vera Onomacritum, licet de Megalopoli nihildum quidquam somniaret, tamen aliquo carminum suorum loco daemonem illum, in eis regionibus patrium et domesticum, Cereris adsessorem, celebrare iam potuisse. Onomacritus occultorum et reiectaneorum sacrorum studiosissimum se vindicem et indagatorem ubique praebuit; quare minume ab eius ingenio et litteris hoc abhorret, eum religiones illas in Alphei convalle abditas quidem, sed cognitu dignas in lucem protraxisse. Nec poterat Onomacrito occasio deese, qua oblata sacrorum illorum Peloponnesiacorum mentionem faceret. In Orphei, quae dicebantur, carminibus de Cereris quoque et Proserpinae fatis fabulisque plurima enarrata fuisse, notum est; conf. Lobeckium, Agl. p. 825—827 et Paulum Schuster, de veteris Orphicae Theogoniae indole etc. Lipsiae, 1869, p. 76. His igitur argumentis adducor, ut credam, Pausaniam 8, 31, 3, cum τοῦτον inquit τὸν Ἡρακλέα εἶναι τῶν Ἰδαίων καλουμένων Δακτύλων Ὀνομάκριτός φησιν ἐν τοῖς ἔπεσιν, non dicere velle, aliquam Herculis Idaei, qui longe post Megalopoli coli coeptus sit, iam apud Onomacritum mentionem factam esse, sed sedulum hunc poesis sacrae auctorem Herculem illum, in ripis Alphei cum Cerere cultum, rimatum esse, de eaque re in carminibus rettulisse. Statuam cubitalem non urgeo; haec recentioris fortasse originis fuit, sed numen ipsum vel sine statuae simulacro accolis hominibus praesentissimum et notissimum esse potuit.

Quaeritur nunc quid argumentatione nostra effectum sit. Tria sunt, opinor, quae si modo sine praeiudicata opinione expendantur, ad eam verisimilitudinem adducta sint, quam in tanto veterum testimoniorum naufragio omnino attingere liceat. Primum ex Onomacriti testimonio constat, Herculem Idaeum iam ante Pindari aetatem cum Graecis omnino tum Peloponnesiis innotuisse. Deinde vidimus, Curetes illos, quos Pausanias 5, 7, 6 pro Herculis fratribus affert; ab initio Curetes non fuisse, sed daemones salutiferos et morborum fractorumque membrorum averruncos, Curetum vero Dactylorumque nomina eis propter antiquissimum Rheae cultum, cum apud omnes veteres Peloponnesios, tum apud Eleos acceptissimum, indita esse. Denique hoc quoque demonstratum est, quoniam Rheae sacra ex Creta remotissima iam

antiquitate in Peloponnesum allata sint, admodum verisimile esse, Dactylos seu Curetes non nimis longo spatio post Matrem Rheam, Saturnum, Iovem puerum secutos esse et Elidem sibi tanquam alteram patriam elegisse. Hoc facto et confusis Curetibus cum illis numinibus Eleorum domesticis, sanitatis tuendae praesidibus, orta postremo est illa fabula de Hercule Idaeo una cum fratribus Olympiorum ludorum conditore.

Sed praeter haec argumenta unum etiamnunc est, quod ad extremum reservavimus, quo reliquis omnibus, quae allata sunt, cumulus adicitur. Inest vestigium eius simultatis, qua Pindarus Eleorum illam fabulam persequitur et exagitat, in ipsius Pindari verbis. Hoc ita sese habere sensissent, opinor, iam pridem interpretes, nisi viri incomparabilis, Lobeckii, auctoritas iudicii aciem hebetasset. Firmissimis argumentis constat, Rheae et Saturni memoriam et religionem Olympiae vetustissimas fuisse: *Ἰδαῖον σεμνὸν ἄντρον* apud Pind. Ol. V, 18 iam supra illustravimus. Cum his fabulis necessario vinculo coniunctum est vetustissimum collis Cronii nomen. Nam eadem hominum pia fama, quae antrum illud Rheae religione opplevit, Rheae coniugi, Iovis pueri patri, collem illum sacravit. Attamen Pindarus in carmine Ol. X. quid facit? Clarissimis verbis edocet, collem Cronium ante Herculis, Alcmenae filii, adventum et honesto nomine et arborum ornamentis caruisse, atque ne Oenomai quidem temporibus in aliquo saltem honore fuisse. Herculem demum Thebanum hanc collis ignobilitatem sustulisse et sancto eum nomine nuncupavisse, Ol. X, 50: *καὶ πάγον Κρόνου προσεφθέγξατο · πρόσθε γὰρ ‖ νώνυμνος, ἇς Οἰνόμαος ἆρχε, βρέχετο πολλᾷ νιφάδι.* Hoc Pindari de Herculis sui meritis praeconium non poterat non vehementer cum Eleorum fama tradita pugnare. In Pindaro vero talis narrationum discrepantia nullo modo neque ex incuria quadam, neque ex caeco quodam in Hercule laudando impetu orta esse potest. Subest consilium. Inest in his verbis strenuissima et validissima arrogantiae Eleorum animadversio.

Si Pausaniae illam narrationem 5, 7, 6 de Dactylis et Hercule Idaeo Olympiorum ludorum conditoribus primis non haberemus, inexplicabile illud esset, cur Pindarus fabulam de Cronii montis vetustissimo nomine, per se minime improbabilem minimeque arrogantiae suspectam, praefracte reiecerit. Sed nunc omnis res patet. Elei ea fabula abusi erant ad Dactylorum suorum, quippe qui heroes domestici essent, gloriolam intemperantius et immodestius amplificandam. Eadem ratione, qua in Cronio monte apellando Pindarus Eleos refutavit, etiam illud eorum commentum reiecit, qua illi oleastri (*κοτίνου*) usum Dactylis iam vindicare ausi sunt. Denique quod omnium maxume ridiculum, si publice sanciretur, futurum erat, Elei quinquennalem quoque

ludorum reditum Herculi Idaeo tribuere non erubuerant, causa putida adiecta; Paus. 5, 8, 9: *διὰ πέμπτου οὖν ἔτους αὐτὸν κατεστήσαντο ἄγεσθαι, ὅτι αὐτός τε καὶ οἱ ἀδελφοὶ πέντε ἦσαν τὸν ἀριθμόν.* Haec Pindarus, voce sua sublata, quae tubae instar per Graeciam sonaret, obruere et tenebris aeternis tradere ausus est, quas multis saeculis post homines antiquarii, Strabones et Pausaniae, docta lucerna discutere conati sunt. En Pindari verba Ol. X, 55: *Χρόνος ... κατέφρασεν, ... πενταετηρίδ' ὅπως ἄρα ‖ ἔστασεν σὺν Ὀλυμπιάδι πρώτᾳ ‖ νικαφορίαισί τε.*

Sed ut summam eorum, quae disputata a nobis sunt, colligamus, si vera illa sunt, contigit nobis ut novam quasi virgam coronae immortali, qua caput vatis Thebani cinctum est, insereremus. Magna est et notissima in Pindaro, neque unquam satis laudata sanctitas et pietas, qua deorum ubique praesens numen in vita humana carminibus suis illustrare et celebrare nunquam destitit. Neque illud quemquam fugit, Pindarum saepius, ut quam purissimam deorum et narrationum de rebus divinis imaginem effingeret, hominum errores volgares et formas narrandi tetricas et horridas refellere, impugnare, rectius interpretari studuisse. Illud vero plane novom, quod ex carmine Olympico X. nobis apparuit, Pindarum si res poscere videretur, hoc quoque muneris sui putasse, ut vel sacerdotum summa auctoritate pollentium talia commenta, quae deorum vel heroum maiestatem superstitionis sordibus polluere viderentur, summa fortitudine et strenuo vereque pio impetu repelleret, eorumque plagas callide textas stricto veritatis, divinarum humanarumque rerum custodis, gladio perrumperet.

CAPUT II. PINDARI PRAECEPTUM: »IN ALTERO CONATU VIS VICTRIX ET SALUTARIS.«

Pindari carmen Olympicum X. propter simplicitatem compositionis laudari solet. Verum duo sunt simplicitatis genera; alterum illud est quod omnibus difficultatibus caret; alterum longe praestantius in eo positum est, ut summae difficultates eum in modum ab artifice superatae et labore recondito nullique oculo se offerenti subactae sint, ut qui spectent vel audiant nil nisi delectationem capiant, laborem sudoremque, quibus auctori opus constiterit, nullo indicio persentiscant. Pindari carmen, de quo loquimur, posteriori generi adscribendum. Sunt in eo nonnulla maxume dilucida, in quibus statim, quid sibi voluerit poeta, enarrare possis. Alia sunt rursus, quae per se non minus clara videantur, sed in quibus quomodo cum reliquis eius carminis membris coaluerint difficillimum sit ad demonstrandum. Denique transitiones nonnullae fiunt, quae quo spectent, non satis apparet. Itaque in toto carmine perlegendo sentimus harmoniam, sed quomodo effecta sit, quibus vinculis nitatur, tantum abest, ut cognitum sit, ut interpretes eruditissimi, qui totiens egregiis curis carmen et carminis consilium enarrarunt, de compositione, de sententia primaria, quae tanquam in concha margarita, ita in carminis recessu lateat, varie inter se contenderint.

Totum carmen quinque partibus constat; atque omnino cadit in hoc carmen egregium illud Rudolfi Westphali inventum, quod ille nonnullos abhinc annos in Prolegomenis Aeschyleis (Lips. 1869) p. 81 primus exposuit, quodque nuper Fridericus Mezger in libro praestantissimo: 'Pindar's Siegeslieder' (Lips. 1880) copiose magnoque acumine prosecutus est. Partes illae quinque in nostro nunc carmine sunt hae; conf. de singulis disserentem Mezgerum p. 435. In Archa, quae vocatur, v. 1—15 Pindarus dicit, magna se in culpa esse, quod carmen diu promissum nondum perfecerit, sed cum usuris se damnum repensurum. In Catatropa v.

16—23 Agesidamum post summam omnium virium intentionem et egregia magistri artis gymnasticae, Ilae, ope victoriam rettulisse testatur. Sequitur pars vere splendida et magnifica, Omphalos, v. 24—77; continet fabulam de Hercule, qui in bello cum Augia primum ab Cteato et Euryto victus, brevi deinde post cum hos ambos, tum Augiam occiderit, quique deinde Olympiae eius belli praedam composuerit, locum et campum ludorum Olympicorum elegerit et circumscripserit, denique prima certamina a comitibus suis obeunda instituerit et praemia distribuerit. Omphalum sequitur Metacatatropa v. 78—83: Iovem, fulguris telo omni tempore invictissumum, semper laudibus efferendum esse. Hoc loco Iovis potentia, nulli unquam cladi obnoxia, cum Herculis, tum Agesidami in vincendo aerumnis et difficultatibus luculenter opponitur, quae res, ni fallimur, latuit virum acutissumum, Mezgerum. Postremo accedit Sphragis v. 84—105, qua Pindarus gloriatur promisso suo iam sese stetisse: in carmine suo nil desiderari; recordari se amantissume eius temporis, quo dulcem (*ἐρατόν*) Archestra tifilium, aetate et pulchritudine florentissimum, in pugilatus certamine vincentem viderit.

Haec est carminis summa. In eius compositione et consilio explicando permulti versati sunt. Eorum sententiae in tres classes digeri possunt, quas breviter nunc recensebo. Primum igitur sunt nonnulli, quorum agmen Boeckhius ducit, qui dicunt: fabulam de Hercule, qui primum in bello contra Augiam paullulum cesserit, deinde animo confirmato et corroborato denuo certamen adgressus egregie vicerit, eo consilio electam esse a poeta, ut Agesidami certamen illustraret, qui ipse quoque initio, quom adversarius nimis urgeret, de abrumpendo certamine cogitarit, deinde ab magistro Ila admonitus et recreatus pulcherrimam victoriam assecutus sit. Nam pugilatus sane aerumnosissimum et periculosissimum genus ludorum erat, unde vix salvis membris abire liceret. Itaque Agesidamus quoque aliquantisper animum despondisse videtur eum in modum, ut iam ulteriora certamina deprecari vellet, cum interventu Ilae retentus est. Huic sententiae cum multa favent, tum hoc potissumum, quod breviore quoque aliqua de Hercule fabula idem argumentum Pindarus adumbrat: heroem invictissimum semel cessisse, cessisse in pugna adversus Cycnum Ol. X, 15: *τράπε δὲ Κύκνεια μάχα καὶ ὑπέρβιον* ‖ *Ἡρακλέα · πύκτας δ' ἐν Ὀλυμπιάδι νικῶν* ‖ *Ἴλᾳ φερέτω χάριν* ‖ *Ἀγησίδαμος, ὡς* ‖ *Ἀχιλεῖ Πάτροκλος*. Scholiasta quo haec tenderent, animadvertit; Schol. Ol. XI (X), 19; p. 243 init.: *διὰ τὸν Ἀγησίδαμον δὲ εἰκότως ἡ ἱστορία. οὗτος γὰρ καταλύειν ἤδη προῃρημένος ὑπὸ τοῦ ἀλείπτου ἀνερρώσθη παραθήξαντος*

αὐτόν, et porro plura in eandem sententiam. Boeckhius Explicatt. p. 199, extr. eodem modo: *quoniam*, inquit, *is* (Agesidamus) *non sine magno labore vicerat, quin etiam primum cesserat adversario, et a magistro Ila demum excitatus superior decesserat, Herculis, Olympiorum auctoris, exemplo id excusatur.* Assentitur Boeckhio, minutis quibusdam rebus exceptis, in universum Dissenius ad versum 41.

Altera explicandi huius carminis ratio ea est, quam dilucide exposuit Fridericus Mezger p. 430, in qua de Agesidami quadam cunctatione et de certaminis deprecandi consilio nihil admittitur; aliptis enim minime licuisse tam prope ad discipulos pugnantes accedere, ut verbis eos accendere potuerint. Immo fabulis illis de Hercule, iterato impetu contra adversarios acerrimos pugnante nihil aliud nisi pugilatus aerumnosissimum genus certandi significari. Poetam illo Herculis exemplo, quos labores Agesidamus exantlarit, illustrare velle. Deinde in altera carminis parte eum eiusdem herois exemplo victoriae laetitiam et splendorem oculis proponere, adumbrata primorum prope Alpheum ludorum venusta imagine. Itaque summam sententiam hanc esse: summis laboribus summum gaudium praemii loco a dis immortalibus constitutum esse, quemadmodum Pindarus ipse dicat v. 22: *ἄπονον δ' ἔλαβον χάρμα παῦροί τινες.* Conf. Mezgerum p. 435 sq.

Tertio denique loco Leopoldi Schmidtii, Pindaricorum cogitatorum thesauros reconditos egregie elicientis, carminis huius interpretatio in libro 'de Vita et poesi Pindari' p. 179 sq. et p. 116 expendenda est. Schmidtius ex quinque illis, quas supra enumeravimus, carminis partibus primam potissumum v. 1—15 et postremam explicationis suae fundamentum esse volt. Pindarum enim cum Olympiae Agesidamum formae eximiae puerum pugnantem vidisset, eius pulchritudine et iuventutis florentissimae adspectu eum in modum percussum esse, ut maioris carminis epinicii pangendi facultatem illo tempore invenire non posset. Immo eum consulto rem ita instituisse, ut formosissimi pueri imago, quae penitus in eius mente inhaeserat, paullulum in oblivionem abiret, et ut spatio demum interiecto, mitigato et pacato iam animo, ad eum canendum accedere sibi liceret. Etenim poeticam facultatem in primi affectus impetu et aestu haud satis liberam esse; aliquanto post, tumultu illo sedato, imaginem illam, quae interim non intermortua, sed seposita fuerit, puriorem et splendidiorem, quam antea ex animi recessu prodire. Huic Schmidtii sententiae, qui rectissumo iudicio omnia Pindari carmina pro intimorum poetae sensuum et interioris vitae fructuum quasi interpretibus habet, maxume favent versus huius carminis postremi, v. 99: *παῖδ' ἐρατὸν δ' Ἀρχεστράτου* ‖ . . . *τὸν εἶδον κρατέοντα* . . . ‖ *ἰδέᾳ τε καλὸν* ‖

ὥρᾳ τε κεκραμένον, ἅ ποτε ‖ ἀναιδέα Γανυμήδει μόρον ἄλαλκε σὺν Κυπρογενεῖ, ubi cum Ganymede et Cupidine Agesidamum comparari videmus. Cum hac carminis sententia principali non plane necessario vinculo Schmidtius censet fabulam mythicam de Hercule Augiae victore et ludorum primorum conditore conexam esse. Immo eius digressionis usum in numero eorum indiciorum habet, e quibus Pindarum, licet illo tempore tricenarius fuerit, tamen appareat nondum ad summam artis perfectionem venisse.

Has igitur virorum eruditissimorum et praeclarissimorum sententias identidem mecum reputavi et cogitando volutavi; sed in nulla plane acquiescere poteram; unum enim incommodum omnibus commune est. In nulla ostenditur unum quoddam et continuum, quod tanquam vitae spiritus per totum carmen effusum sit, consilium. In unaquaque partes nonnullas carminis nostri deprehendimus, quae ab reliquis discrepent, quae in illam harmoniam, cuius verae artis opera omnia documenta esse debent, minime solvantur. Nam si dicamus, certaminis pugilum tam summas aerumnas, quam eximiam, quae ex labore et sudore efflorescat, laetitiam describi, atque ut praecipuam eius laetitiae partem poetarum carmina celebrari, est hoc quidem perpulchrum et convenit Pindari in universum ingenio. Sed in carmine nostro statim prima pars ab hac sententia plane aliena. Pindarum re vera eius mandati, quo carmen Olympicum ab eo petebatur, oblitum esse, quis sibi persuadeat? Immo est hoc certo quodam consilio a poeta fictum. In illa rursus sententia, in qua omnia ad Pindari cum Agesidamo amicitiam revocantur, maxima et splendidissima carminis pars, omphalos ille eximiae pulchritudinis, in universum concentum non adaptari potest. Sed vix credibile videatur, poetam artis leges tanta incuria tractavisse.

Itaque nova via quaerenda est. Quamquam si, quae mihi probabilia videantur, nunc protulero, omnes statim sentient, superiorum, qui in hoc campo elaborarunt, eruditorum inventis iam omnia quodammodo praeformata esse, ut summa tantummodo colligenda fuerit. Ac primum quidem una est res, quam Pindarus tam clare expressit, ut eam in dubitationem vocari potuisse mirer. Bis Pindarus enarrat, in acerrimo aliquo proelio, primum cum Cycno, Martis filio, deinde cum Molionidis, Cteato et Euryto, vel Herculem recessisse, v. 15 et 31. Hoc minime ignominiae Herculi vertendum, nam ut alibi poeta dicit (Nem IX, 27): *ἐν γὰρ δαιμονίοισι φόβοις φεύγοντι καὶ παῖδες θεῶν.* Atque recessit tantummodo Hercules, ut ad tanto fortiorem conatum alterum se colligeret. Itaque cum hoc et in omphalo, loco conspicuo, v. 31,

et in minore magisque concisa enarratione in catatropa v. 15 illustretur, mihi quidem nullo modo dubium videtur, Agesidamum simile quid fecisse; indicat poeta quam clarissime fieri potuit, Agesidamum de deprecando certamine sub initium certaminis cogitasse, cum fortasse in primo alterove cum adversariis congressu, — nam complures sunt in pugilatu actus, — vehementer percussus fatigatusque esset. Sed rursus se erexit et postremo victor discessit.

Tafelius, dilucidatt. Pind. p. 391, Pindari verba de Hercule Cycni impetum declinante, v. 15: *τράπε δὲ κτλ* ad Locrensium Epizephyriorum, civium Agesidami, aliquam cladem, quam in bello adversus Anaxilaum acceperint, referenda censet; sed huic interpretationi, quae nonnullis etiam nostrae aetatis eruditis arrisit, et tempora rerum gestarum obstant, et structura grammatica, qua quae de Ila, Agesidami magistro, v. 16 dicuntur, cum superiore sententia arctissime conectuntur. Quare si quod est indicium, in quo tanquam certo in hoc carmine interpretando fundamento niti et pedem figere possimus, est illud Agesidami consilium initio ab eo captum, post abiectum, ut certamen, quod magnopere in exordio eum urserat, deprecaretur. Sed hoc ipsum, quod in contumeliam Agesidamo evadere potuit, mox in summam eius laudem ipsius fortitudine et magistri Ilae adhortatione conversum est. Quid igitur est, quod Pindarus duabus illis narrationibus de Hercule, qui recesserit et confirmato rursus animo impetum renovarit, edocere et in ipso Agesidamo exemplo Herculis magnopere extollere voluit? Est, ut brevi comprehendam: Alterius conatus vis victrix et salutaris.*) Pindarus hoc dictum volt: O, qui rem praeclaram adgressuri sitis, nolite cum primus conatus non statim bene cesserit, animum despondere; fortes fortuna adiuvat; iteratus conatus ad exoptatam victoriam vos perducet, sicut Herculem aliquotiens, sicut Agesidamum Olympiae.

Nunc ad alteram quaestionem accedam: Pindarus magistrum Agesidami Ilam ut potissumum eius victoriae auctorem praedicat, v. 16: *πύκτας δ' ἐν Ὀλυμπιάδι νικῶν ‖ Ἴλᾳ φερέτω χάριν ‖ Ἀγησίδαμος, ὡς ‖ Ἀχιλεῖ Πάτροκλος.* Quaesiverunt docti, num haec in universum ad institutionem, qua Ilas discipulum omnino imbuerit, tendant, an,

---

*) Aureolum dictum si nostri sermonis civitate donandum sit, vertas: '*der auf dem zweiten Versuch ruhende Seegen.*'

quemadmodum censet scholiasta p. 243 init. *ὑπὸ τοῦ ἀλείπτου ἀνερρώσθη παραθήξαντος αὐτόν*, ad exhortationem inter certamen ipsum, accedente ad discipulum, cum eum animo labantem vidisset, magistro. Plurimi interpretes, praeeunte Tafelio p. 391, talia magistris non licuisse contendunt, quare hunc locum de institutione in universum, qua Ilas Agesidamum formaverit, explicant. Miror haec Dissenio ad v. 15 et Mezgero p. 430 placuisse. Nam etsi clarum est, inter ipsam pugnam magistris accessum ad pueros pugnantes, liberum non fuisse: erant in pugilatus certamine complures actus vel gradus, intra quos aliquid quietis, licet brevissimum fuerit, concessum fuisse, maxume credibile est. Nam is mos erat Olympiae, ut in pugilatu, cum complures agonistae essent, omnes sortibus ductis primum ita distribuerentur, ut adversariorum paria orirentur. Deinde iterum eorum parium victores inter se committebantur; tertio loco ei, qui e secundo certamine victores discessissent.

Postremum certamen omnium illorum adversariorum victori imminebat ab ephedro. Nam si forte ita acciderat, ut pugnantium numerus impar esset, unus relinquebatur, qui otiosus omnia certamina spectabat, donec ad ipsum ille, qui omnes devicisset, multarum victoriarum confidentia elatus et accensus, perveniret. Totam rem ut administrari solita sit, optime enarrat Lucianus in Hermotimo cap. 40: *ὁ ἀλυτάρχης . . . τὸν μὲν τὸ ἄλφα ἔχοντα τῷ τὸ ἕτερον ἔχοντα ἄλφα ἀνεσπακότι . . . παγκρατιάζειν συνάπτει, τὸν δὲ τὸ βῆτα τῷ τὸ βῆτα ὁμοίως . . . οὕτω μὲν γὰρ ἢν ἄρτιοι ὦσιν οἱ ἀγωνισταί, οἷον ὀκτὼ ἢ τέτταρες ἢ δώδεκα· ἢν δὲ περιττοί, πέντε ἑπτὰ ἐννέα, γράμμα τι περιττὸν . . . συμβάλλεται . . . ἀντίγραφον ἄλλο οὐκ ἔχον. ὃς δ' ἂν τοῦτο ἀνασπάσῃ ἐφεδρεύει περιμένων, ἔστ' ἂν ἐκεῖνοι ἀγωνίσωνται.* Conf. optime de his disputantem Krauseum 'Olympia' p. 112.

Relinquebatur, igitur aliquod spatium inter certamina illa interiectum; quo tempore quid ni magistros usos esse statuamus ad confirmandos discipulos? Athletis vero intra certamen desperata victoria desistere et ulteriora deprecari licuisse, certissimum est; vide Boeckhium nott. critt. p. 542; Dissenium apud Boeckhium Explicatt. p. 434; Dissenium in editione sua p. 459; Scholl. Nem. VII, 106, p. 482 med. Quae cum ita sint, Ilam arbitror in tali aliqua certaminis pausa ad Agesidamum accessisse et labantem paullulum eum ad novam spem novamque virium contentionem accendisse. Non abs re fuerit adnotare, eum quoque virum, qui in rebus ad publica

Graecorum certamina pertinentibus subtilissimi existumatoris nomen haud dubie meretur, Krauseum 'Olympia' p. 238 init. eidem sententiae suffragari.

His igitur fundamentis ad carmen interpretandum stabilitis, iam ulterius progredi licebit. Vidimus hoc praeceptum per totam mediam carminis nostri partem resonare et illustrari: in iterato conatu vim inesse victricem et salutarem. Iam quaeritur, nonne idem praeceptum in exordio et fine ostendi possit, in quibus Pindarus de dulcissima illa, quae sibi cum Agesidamo intercedat, amicitia loquitur. Ad haec diiudicanda pulcherrime conveniunt, quae subtilissimo sensu Leopoldus Schmidt invenit: quid enim aliud in exordio carminis Pindari illa narratio de aere alieno, in quo dudum apud Agesidamum et Locros sit, significat, deque intermortua paene pueri formosissimi memoria, nisi hoc: Pindarum consulto carminis eius componendi officium distulisse. Post victoriam Agesidami ei officio se imparem plane sensit. Conatum haud dubie lyrae in concentus musicos aptandae fecerat; sed primum hunc conatum irritum reddiderat nimia totius mentis vibratio et perturbatio. Itaque in reconditiorem quendam pectoris recessum dilecta illa Agesidami imago detrudenda erat per aliquod temporis spatium; deinde redeunte primo vel altero die victoriae anniversario rursus in lucem protrahi potuit. Itaque animo nunc sedato et pacato, qui pulchritudirem illam mortalem iam suo spiritu immortalem reddidisset, ad opus mandatum ita accedere potuit, ut carmen omnibus numeris absolutum componeret.

Quemadmodum igitur in Herculem et Agesidamum hoc cadit: in iterato demum conatu eos victores e certaminibus suis discessisse, eadem ratione ipse id Pindarus expertus fuerat. Verba, quibus poeta in exordio utitur, egregie hanc explicationem confirmant: *τὸν Ὀλυμπιονίκαν ἀνάγνωτέ μοι ‖ Ἀρχεστράτου παῖδα πόθι φρενὸς ‖ ἐμᾶς γέγραπται . γλυκὺ γὰρ αὐτῷ μέλος ὀφείλων ἐπιλέλαθ'.* Vides, quomodo, quid in animo suo evenerit, poeta pingat. Nomen dilectissimum, quod toto pectore se imbibisse v. 104 ingenue profitetur (conf. Schmidtium p. 116), non evanuerat neque intermortuum erat, immo indelebili scriptura in pectore infixum, vi quodammodo adhibita in interiores recessus abditum fuerat; sed laetissima voce id nunc Pindarus ad lucem revocat. Nunc enim iam eo non confundebatur neque perturbabatur, sed animo liberrimo, pariter et quae ipse expertus erat et quae dilectus iuvenis in certa-

mine Olympico exantlaverat, ad aeternam quandam naturae humanae legem revocavit, quae digna profecto est, quam quivis, qui ad maiora enitatur, pectori infigat 'in iterato conatu vis victrix et salutaris.'

Sed nunc rastri et sarcula ceteraque ferramenta, quibus agellos nostros colimus, e manibus deponenda sunt; nam anno vertente recurrit dies faustissimus et exoptatissimus, laetitiae suae radiis universam Germaniam collustrans, quo dilectum PATRIS PATRIAE nomen indelebili scriptura in omnium animis infixum primum leni susurro insurgens, mox tubarum sonitus instar erumpens ex patriae ore ad caelum escendit, dies omnibus divinis humanisque dotibus ornatissimus, quo potentissimus clementissimusque princeps, Germanorum imperator Rex Borussiae GVILELMVS I. lucem adspexit.

Indicenda igitur sunt sollemnia, quae ab Universitate Christiana Albertina in magna aula die XXII. Mensis Martii anni MDCCCLXXXI, hora I. post meridiem celebrabuntur, in quibus communia omnium vota communemque laetitiam oratio ab eloquentiae professore publice constituto, Eduardo Luebbert, patrio sermone habenda interpretabitur.

His sollemnibus ut prompto lubentique animo interesse velint, ea qua par est observantia magistratus Regios perillustres cum civiles tum militares, magistratus urbicos summe colendos, sacrorum antistites maxume reverendos, scholae humanitatis studiorum fundamenta strenue iacientis praeceptores honoratissimos, nec non viros spectatissimos ornatissimosque, qui aliquo officii vel studiorum vinculo cum universitate nostra coniuncti sunt, denique urbis incolas et quicunque patriae nostrae favent cupiuntque, rogatos invitatos esse volunt Rector et Consistorium academicum Universitatis Kiliensis.

Dabamus Kiliae Holsatorum die XVIII. Mensis Martii MDCCCLXXXI.